



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

De septem donis Spiritûs S. in figura columbæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

cum perfectionem acquirimus, cum jam relicto carnalis sensus lacte solidum cibum apperimus, cum relictis & neglectis terrenis ad coelestia aspiramus. Crescite ergo cum Puerio JESU, crescite cum Samuele de quo Scriptura 1. Reg. 2. *Puer Samuel proficiebat atq; crescebat, & placebat tam Deo, quam hominibus.* Proficite cum Davide, de quo 2. Reg. 3. *David erat proficiens & se ipso robustior.* Ne igitur semper pueri simus, sed quotidie in melius proficiamus. *Semper, inquit, August. serm. 15. de verbis Ap. tibi displiceat quod es, ut possis pervenire ad id quod nondum es, ubi tibi placuisti, ibi rem amisisti. Si autem dixeris, sufficit, etiam periisti. Semper ambula, semper profice, semper adde, noli in via remanere, remanet qui non proficit.* Et D. Leo serm. 2. in Quadrag. *ibi incidunt homines in deficiendi periculum, ubi proficiendi deponunt appetitum.* Dicite ergo cum Paulo 1. Cor. 13. *Cum essem parvulus loquebar ut parvulus, cum vero factus sum vir, evacuaui qua sum parvuli.* Rogate DEum ut assidue crescatis in gratia, & cognitione Domini nostri & Salvatoris JESU Christi, ut D. Petrus monet 2. Petr. 3. Rogate cum D. Paulo Ephes. 3. *Us det vobis secundum divitias gloriae suae virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine.* Ite Ps. 83. *De virtute in virtutem, ut postea videatis DEum Deorum in Sion, ut occurratis ei in virum perfectum Ephes. 4. in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*

STRENA III.

De Septem Donis Spiritus S. in figura Columbæ.

Distributurus Strenæ loco dona septem Spiritus S. quæ requieverunt super hunc Regem novum ut Isai. 11. testatur. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet,*

det, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientia & intellectus: spiritus consilii & fortitudinis: spiritus scientia & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini. Cùmq; Columba typus sit Spiritus S. habeatq; etiam septem proprietates seu condiciones, eas quoq; breuiter applicabo dictis Spiritus S. donis. Proprietates columbæ sunt istæ. 1. Quòd lymphidis gaudeat aquis. 2. Quòd vivos horreat lumbricos, mortuos edat. 3. Quòd dum serpentes metuit evolat in altas rupes. 4. Quòd compare suo amisso turtur seu columbus sylvester nihil agat nisi gemat. 5. Quòd felle careat. 6. Quòd è pluribus granis meliora & candidiora eligat. 7. Quòd Domino valdè fructificet.

Sacerdotibus igitur opto pro convenienti Strena donum intellectus, horum est enim intelligere, interpretari, docere Scripturas, quod donum illi Sacerdotes nondum acceperant, de quibus dicitur in Evangelio *nondum sciebant Scripturam* Joan. 20. *quia oportebat Christum resurgere à mortuis.* Et alibi Matth. 15. *Et vos adhuc sine intellectu estis.* Hi tamen hoc dono prædici esse debent. Nam dicit Eccl. 8. *Ne despicias narrationem iherosolymorum sapientum &c. ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam intellectus.* Hoc donum habebat Timotheus ad quem sic 2. Tim. 12. *Intellige quod dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* Sacerdotum ergò est, amare scientiam scripturarum, ut carnis vitia non ament, ut Hieron. loquitur. Amare libros ne ament liberos. Eorum enim est plùs scire & intelligere præ cæteris, ut alios doceant, & informant Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam & legem ex ore ejus requirent.* Et rectè. Sanè opus est intellectu in sacrarum literarum lectione, sunt enim illæ multis locis difficillimæ intellectu, licet hæretici aliud de illis dicant. Nunquid enim dicit D. Petrus 2. Petr. 3. In epistolis Pauli esse quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & scripturas cæteras ad ipsorum perditionem.* An non in Actibus

bus

bus Apost. Act. 8. Eunuchus cum legeret Isaiam Prophetam interrogatus à Philippo. *Putasne intelligis quae legis?* respondit. *Quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?* Audi quid censeat D. Aug. epist. 3. *Tanta Christianarum profunditas literarum ut in iis quotidie proficerem, et si eas solas ab incunite pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio, addiscere conarer.* Et alibi 12. Confess. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum Domine, mira profunditas, Deus meus. Horror est intendere in eam: horror honoris & tremor amoris.* Hinc D. Chrylost. in 1. Joann. *Primum nobis curandum est, & omni studio invigilandum, ut sacrarum Scripturarum profundum inspicere possimus, quarum sensus nunquam deprehendemus oscitantes, &c.* Et D. Hieron. ad Paulin. *Quanti hodie putant se nosse literas, & tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit, qui habet clavim David. Qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit. Ego, ut de me loquar, nec sanctior sum Eunucho Act. 8. nec studiosior, qui de Aethiopia, id est, de extremis mundi finibus venit ad templum, reliquit aulam regiam, & tantus amator legis divinaeque scientiae fuit, ut etiam in vehiculo legeret literas sacras, & tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat tamen quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit Jesum, qui clausus in litera latebat. Et post pauca. Hae à me breviter perstricta sunt, ut intelligeres te in Scripturis sacris sine praevio & monstrante semitam non posse ingredi. Et paulò post graviter conqueritur passim omnes sibi vindicare artem scripturarum, eamque docere antequam didicerint, cum tamen caeterae artes absque Doctore & praevio monstrante non discantur. Quae cum ita fiant, an non merito Sacerdotes clamare & orare debent cum Regio Propheta, Pl. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Da mihi intellectum & discam mandata tua. Et rursum. Revela oculos meos & considerabo mirabilia tua.* Ut ergo Sacerdo-*

tes

tes verum intellectum S. Scripturæ assequantur, debet *voluntas* eorum Pl. 1. esse in lege Domini, & in eadem meditari die ac nocte. Debent eandem frequenter ruminari ac masticare. Debent cum Propheta Ezech. 3. volumen illud comedere. Debent orationibus instare quibus petant illuminari dicentes iterum cum Pl. 118. *Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas.* Meminisse quoque debent saluberrimæ istius monitionis D. August. sic scribentis in Joann. tr. 2. *Omnia qua leguntur in Scripturis sanctis ad instructionem & salutem nostram oportet audire, maximè tamen memoria commendanda sunt, qua adversus hæreticos valent plurimùm.* Discant hæc omnia, & practicabunt exemplo columbæ, quæ ut dixi, limpidis gaudet aquis, ut in iis clariùs speculari possit vulcurum & milvorum supervolantium umbram & imaginem, ac tempestiviùs sibi prospiciat loca tutiora petendo. Ita, inquam, Sacerdotes affici debent, & gaudere aquis Scripturarum, tanquam fluentis quibusdam ac sinceris fontibus, & in illis frequenter speculari ut sibi prospiciant contra milvos ac vultures, id est, contra hæreticorum insidias, fraudes, corruptelas, argutias, &c.

Secularibus Dominis fero in Strenam donum *Sapientia*, hoc enim ipsis admodum necessarium est, ut populum prudenter regant, & salutare leges ferant, ut benè meritos præmiis ac honoribus afficiant, ut malefactores ac Reipub. perturbatores plestant, ut justiciam rectè administrent. Si namque prudentia & sapientia iis defuerit, facile incident in illam damnationem. I. sai. 8. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Nihil tunc judicant rectè ratione, sed omnia corrupti iudicii opinione metiuntur: ex quo efficitur, ut mentis cæcitate impediti nomina rerum mutant, virtuti vitii nomen impo-
M
impro-

improbantes, malos verò laudantes, juxta illud Prov. 7. *Qui justificat impium & qui condemnat justum, abominabilis est uterq; apud DEum.* Cùm viri justì sit, optimos laudibus extollere, & benevolentia profèqui: homines verò impios non solum non laudare, sed etiam odio habere, non quatenus homines sunt sed quatenus iniqui, ut non DEI opus detestetur, sed hominis malitiam; non quod fecit DEus, sed quod fecit homo. Hoc enim odium non contrariatur amorì proximi, imò cum charitate, maximè cohæret. Rex enim David in eo Psalmo, in quo pollicetur se Regis optimi officio functurum, ita inquit, Pl. 100. *Facientes pravariationes odisti.* Et in alio Psalmo 88. *Nonne, qui te oderunt oderam, & inimici facti sunt mihi?* Et in alio Psalmo 14. Ubi viri justì qualitates describit, ita ait. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem DEum glorificat.* At depravati homines corrupto judicio & cæco impetu agitati omnia pervertunt, viros doctrinâ & pietate exultos vituperant & maledictis lacerant, amentes autem & scelerum maculis resperfos ac notatos laudibus extollunt: optimos poenâ afficiunt, & sceleratos immunes dimittunt. Ita fecerunt illi corruptissimi & iniquissimi Judices Matth. 27. qui Barabbam seditiosum homicidam ac latronem dimiserunt, Christum verò sanctissimum & innocentissimum ad mortem vocaverunt. An non ergò Judicibus & Præfectis sapientia est necessària, ut rectè, justè, ac discretè omnia decernant, exequanturque? An non hanc magis, quàm aurum, argentum, & vitrum, divitias, vel honores optare sibi ac comparare debent? Quod non ignorans Salomon cùm Præfectus esset ac Judex super populo Israëlítico constitutus, non perituras divitias, nec fugitivos honores sibi postulavit, non vitæ longitudinem, non inimicorum suorum stragem ac mortem, sed tantùm sapientiam quâ dignè populo suo præesse posset, salubriter imperare, ac regere. Audiamus verba Scripturæ

pturæ 3. Reg. 3. Dominus DEUS meus &c. Hæc verò ejus sapien-
tia paulò post eluxit ac se manifestavit 3. Reg. 3. in judicio dua-
rum Meretricum secum altercantium super oppresso mortuo-
que filiolo. Hanc prudentiam & sapientiam si omnes Judices
possiderent, & Provinciarum rectores ac gubernatores, non e-
viscerarent nec degluberent miseros ac pauperiores, sed hu-
manè, benignè, ac misericorditer eos tractarent. Hanc discant
exemplo etiam columbæ, quæ cum vermes aut lumbricos in-
escam quærit, non vivos devorat, sed mortuos quos invenit.

Virginibus pro Xenio defero alterum donum Spiritus S.
nimirum *fortitudinem*. Hæc enim illis valdè est necessaria, cum
enim quotidie pugnare debeant contra carnem, vitia, 1. Petr. 2.
ac desideria quæ militant contra animam, cum etiam non rarò tam
graviter oppugnentur, ut difficulter resistere posse videantur
tentationibus, sitq; non parvum succumbendi periculum, quid
iis magis necessarium quàm Spiritus S. fortitudo quàm difficulta-
tes omnes superare queant, & in periculoso hoc, duroque
certamine victores evadere? Si D. Augustino credimus de ho-
nestate mulier. cap. 3. *Inter omnia Christiana certamina sola dura
sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, rara victoria.* Te-
stantur hoc quàm plurimarum virginum lapsus ac ruinæ. Est e-
nim pudicitia virginalis res tenera ac fragilis, quæ ut Hieron. ait
*quasi flos pulcherrimus citò ad levem marcescit auram, leviq; flatu
corrumpitur, maxime ubi ætas consentit ad vitium.* Et in ep. ad Sal-
vinam. *Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habe-
mus thesaurum illum in vasis fictilibus, & concupiscit spiritus ad-
versus carnem, & caro adversus spiritum, nulla est certa victoria,
&c.* Tantò igitur bellum hoc difficilius, quantò hostis contra
quem dimicamus, magis internus. Matth. 10. *Inimici hominis
domestici ejus. Facile aliis caremus vitiis, ait Hieron. ad Eustoch.
Hic hostis nobis inclusus est, quocunq; pergimus nobiscum portamus*
M 2 *inimi-*

inimicum. Unde magnarum hic vigor mentium est, grandis virtutis & sollicita diligentia, superare quod nati sumus in carne, præter carnem vivere, nobiscum pugnare quotidie, & inclusum hostem centum Argi oculis observare. Hinc etiam victoria hujus belli maximè est gloriosa. Nam ut D. Cypr. ait de bono pudicitia. Nulla major est victoria quam qua de cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit fortior fuit, sed altero, qui libidinem represit, seipso fortior fuit: qui inimicum prostravit, externam hostem percussit, qui cupiditatem represit, hostem domesticum superavit. Malum omne facilius vincitur quam voluptas. Quia illud quidquid est, horridum est, hæc blanda est, nihil tam difficile opprimitur, quam quod per illud armatur. Quandoquidem ergò hoc virginale bellum laboriosum & periculofum, induant hanc armaturam Spiritus S. scilicet fortitudinem, audiant & faciant quod Spiritus S. monet, *Estote fortes in bello*, &c. Hebr. 1. Rogent cum Samfone Judic. 16. & invocent Dominum. *Domine Deus memento mei & redde mihi fortitudinem pristinam*. Dicant cum Davide Pl. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam*. Non enim existimare debent se, ex se satis fortes ad vincendum, & de hoste triumphandum, sed humiliter confiteri ac clamare debent, Pl. 42. *Tu es Deus fortitudo mea*. Deniq; victoriam non tam sibi, quam ei à quo fortitudinem acceperunt adscribere debent. Ita fecisse legitur in victa illa virgo B. Sara de qua Tympius in loc. comm. verb. *Humilitas*. Cum enim hæc virgo in carnalis lascivie bello per annos tredecim victrix semper evaderet, acriusq; tandem à dæmone impugnaretur, ut vix posset resistere aut sustinere, invocato Sponsi sui Christi auxilio, tum quoque triumphavit. Diabolus verò eidem cedendo victoriam, victorie palmam subcili stratagemate tentabat eripere, dum ei apprensus, latusque stimulo inanis glorie petens, dicebat. *Vicisti me Sara, vicisti*. Sed ipsa, quæ oportebat arte proditoriam ipsius eludens sicam, ac prudens, ut David Saulis ha-

lis ha-

lis hastam declinans 1. Reg. 19. ei quod oportebat respondit. *Non ego te vici sed Dominus meus Iesus.* Ut verò se fortiter in hoc quotidiano bello gerant, nec tædio diuturni certaminis affecti stationem suam deserant, statuunt sibi ob oculos præmia futuræ victoriæ, & singularia privilegia quæ post victoriam obtinebunt. *Egredeere paulisper* inquit D. Hieron. ad Eustoch. *de carcere, & presentis laboris, finge tibi mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, &c.* Cogitent se laureolâ virginitatis coronandas ubi legitimè certaverint, secuturas in cælo, Apoc. 14. Agnum quocunque iverit, & cantaturas canticum novum quod nemo alius cantare poterit. Ut autem omnia quæ dicta sunt facilius exequantur, imitentur etiam columbam, cujus eam esse diximus conditionem, ut si serpentem, milvum, aut nocivum ali-quod animal conspexerit, mox in altum evolat. Ita virgines cum diabolus, caro aut mundus ad malum sollicitat, insidias, quæ struit castitati, protinus oratione, & meditatione in celestia conscendant, & in firmissima gratiæ divinæ rupe, ac foraminibus petræ, scilicet, vulneribus Christi delitescant, dicentes cum Propheta Ps. 13. *In DEO speravi, non timebo quid mihi faciat caro.* Et Ps. 42. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* &c. Et Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Viduis in Srenam aliud offero donum Spiritus S. nimirum consilii intrinsecè & extrinsecè. Cùm enim maritalis deest auctoritas, cujus umbra uxoris est tutamen, ut D. Hieron. epist. ad Salvinam loquitur. Unde maritis destitutæ plerumq; vexantur & opprimuntur, varias injurias pati coguntur, quia defensore carent: multis difficultatibus involvuntur, quibus se extricare non valent, adeò ut in omnibus illis angustiis, litibus, salubri egeant consilio, quo juvari possint & in paupertate levari. In tali afflictione constituta erat illa vidua, de qua legitur 4. Reg. 4. Mulier quadam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Elisæ-

um dicens. *Servus tuus vir meus mortuus est, & ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui Eliseus. Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua? & illa respondit, non habeo quidquam ancilla tua in domo mea, nisi parum olei quo ungar, &c.* Vides, quomodo suo consilio S. Propheta hanc pauperulam viduam iuverit. Simile quid legitur in Act. Apost. cap. 6. Ubi Scriptura sic dicit. *Crescente numero factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, &c.* Hic iterum vides viduas bono consilio Apostolorum adjutas & promotas. Tu quoque similiter fac. Si non vales pauperulis & afflictis viduis operemur, dando pecuniam, eleemosynam &c. assiste eis consilio, consolando eas, & verbis apud ditiores commenda, & dic cum B. Virgine Joann. 2. *Vinum non habent.* Imò, *panis in domo non est, neq; vestimentum,* ut Isai. 3. quidam queruntur. Quod si non feceris, talentum non rectè expendisti. Dicit namque D. Greg. hom. 9. eos qui familiaritatis locum apud divites meruerunt, si nihil pro indigentibus loquantur, pro talenti retentione damnari. Sanè Christus D. luculentè nobis exemplo suo ostendit, quomodo afflictis viduis compati debeamus, cum blandis & consolatoriis verbis viduam Civitatis Naim funus deplorantem Filii sui Joann. 7. sic alloqueretur. *Noli flere,* viduarum namque lacrymas, & gemitus prætereire ac negligere non solet. Ecc. 35. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? à maxilla enim ascendunt usq; ad cælum, & Dominus exauditor delectabitur in illis.* Et Psalmista Pl. 145. *Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet.* Inter omnia Judæorum peccata, ob quæ DEus olim contra eos graviter & minanter exoptulabat, non infimum erat, quòd pupillos & viduas negligenter. Audi Dominum Jer. 5. *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non*

non judicaverunt nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea? Rursum apud Isai. 1. Pupillo non judicant, & causa vidua non ingreditur ad illos, propter hoc ait D. DEUS exercituum. Heu consolabor de hostibus meis & vindicabor de inimicis meis. Et ibidem sic adhortatur eos. *Quarite iudicium, subvenite oppresso, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus &c.* Magna erat crudelitas istius Judicis DEUM non timentis, & hominem non reverentis, ad quem vidua quaedam civitatis veniebat, dicens Luc. 18. *Vindicta me de adversario meo.* Qui tamen per multum tempus nolebat, nisi tandem ob nimiam ejus importunitatem & molestiam, non ex compassionis affectu. Tales prohdolor, hodie plurimi sunt qui aures obturant ad viduarum clamores & lacrymas, & querulis vocibus earum, nec molliuntur, nec fleantur. Quia verò lachrymarum & gemituum viduarum mentionem fecimus, meminerint columbæ seu turturis, quæ amisso compare sæpe gemit, & gembuadam vocem edit. Unde illud Cantic. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Diximus enim supra, inter alias columbæ conditiones etiam esse, quòd viduata & orbata socio, quasi indefinenter gemat, producant & illæ in mortuos maritos lacrymas Eccl. 38. *Et quasi dura passa incipiant plorare.* Ne tamen contristentur *sicut ceteri qui spem non habent.* 1. Thesl. 4. Non enim mortui sunt mariti, sed dormiunt in terræ pulvere, excitandi aliquando, & resuscitandi in novissimo die.

Conjugatis offero pro Strena donum pietatis, Pietas ad omnia utilis est. Dicitur 1. Timoch. Est enim Conjugatis necessaria pax, concordia mutua inter ipsos, & erga proles pietas & charitas. Pietatem in conjugio requirit Apost. 1. Tim. 2. *Mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in ortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod deceat mulieres, pietatem promittentes per bona opera.* Loquitur au-

tur au-

tur autem Apost. de Conjugatis, nam paulò post subjungit. *Docere mulierem non permitto, neq; dominari in virum &c.* Et ideò quemadmodum idem Apost. mysterium Incarnationis, quod est spirituale quoddam connubium inter Christum & humanam naturam, vocat, magnum pietatis Sacramentum. *1. Tim. 3.* Ita & matrimonium potest vocari magnum pietatis Sacramentum. De quo idem Ephes. *5. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sint ergo Conjuges pii in DEum, & in sæculari sua religiosam ducant vitam, ut exemplaria sint virtutum & bonorum operum. Sint de numero eorum de quibus D. Greg. *Sunt multi seculares homines, qui etiam imitandum aliquid habent de actione virtutis.* Sint tales, qui primò quærant regnum DEI & iustitiam ejus, Matth. *6.* ut cetera illis adjiciantur. Audiant frèquenter divinum officium, sæpè confiteantur, communicent, aliaque pietatis officia & exercitia diligenter exerceant. Hæc pietas fundamentum est pacis & concordia domesticæ, quæ multa secum bona trahunt. *Quando enim concordia & pax, & vinculum dilectionis cum muliere & viro fuerit,* inquit D. Chrysoft. hom. *38. in 16. Gen. omnia simul affluunt bona, & nullis insidiis expositi sunt, magno & inexpugnabili quodam muro circumdati suâ juxta DEI præceptum concordia. Hoc, ferro eos fortiores reddet, hoc omnibus divitiis & abundantia magis locupletabit. Hoc supernam gloriam eis conferet, hoc & DEI benevolentiam uberrime conciliabit. Proinde oro, sic omnia agamus & faciamus, ut tranquillitas & pax sit cohabitantibus. Tunc enim & filii qui nascuntur, virtutem sequentur, quos imitabuntur & servi, & undequaque domus virtute florebit, eritq; multiplex rerum prosperitas. Quando enim Divina præferimus juxta illud. Primum quærere regnum Dei &c. Matth. *6.* facile alia omnia nobis prosperè succedent, & nihil difficile putabimus, suppeditante nobis omnia largiter Divina gratia. Porro qualis debeat esse hæc concordia, amor, & affectus*

ctus

ctus conjugalıs in pietate fundatus, vel ipse annulus pronubii declarat. Inprimis enim annulus pronubus est unus, quo significatur amorem conjugalem debere esse inter unum & unam, juxta illud. Matth. 19. *Masculum & feminam creavit eos.* 2. Annulus ille est ut plurimum aureus aut saltem deauratus, quo innuitur amorem conjugalem excedere debere quemlibet alium inter homines amorem, juxta illud. *Propter hac dimittet homo Patrem & Matrem & adhaerebit uxori sua.* Multo magis alios, 3. Annulus est figuræ circularis, quo indicatur stabilitas & perpetuitas amoris conjugalıs Prov. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Insuper annulus pronubus inseritur digito proxime minimo sinistrae manûs. Ratio est, quia vena quædam à corde pergere dicitur ad digitum istum, quo significatur amorem conjugalem esse debere cordialem, juxta illud 1. Joann. 3. *Filioli non diligamus verbo, sed opere & veritate.* Deniq; annulus ille deponi non potest à semetipso, sed ab altera manu, quo declaratur conjugium dissolvi non posse, nisi per mortem alterius conjugum. *Quod enim DEUS conjunxit Matth. 19. homo non separet.* At verò quod deplorandum est, jam invenire est quàm plurimos conjuges divortio separatos; jam invenire est plurimos maritos non magis concordēs quàm canes & feles. Jam invenire est plurimos Maritos Uxores suas cædentes, verberantes, vulnerantes &c. Cùm tamen nullum sic vel esse debeat tam magnum peccatum quod ad verberandum uxorem instigare debeat maritum juxta doctrinam S. Chrysoſt. hom. 26. in 1. Cor. 10. *Et vos Viros illud admonéo, quod nullum sit tam magnum peccatum quod ad verberandum uxorem vos compellat, & quid uxorem dico? ne servam quidem verberare & manus in eam injicere viro libero esset tolerandum. Quod si servam verberare viro maxima ignominia est, multo magis contra Liberam dextram extendere, & hoc ab Gentium legum latoribus cognoscere possumus, qui, quæ vapula verit, non amplius eam cum marito habitare cogunt, utpote aui indignus*

N

sit,

fit, ut cum eo amplius consuetudinem habeat. Etenim summa injuria est, vita sociam, & in rebus necessariis sibi antea conjunctam, tanquam mancipium ignominia afficere. Ideo ejusmodi virum, siquidem vir potius appellandus quam fera, & parricida, & matricida similem esse dixeris, nam si Patrem & Matrem uxoris gratia relinquere precipimur, ut non injuriam eis faciamus: sed divinam legem impleamus, quoniam pacto non ultima demerita est, eam contumelia afficere, propter quam Parentes dimittendos DEUS praecepit? &c. Colant igitur omnes Conjuges pietatem amoris & concordiae fundamentum. Hoc etiam discant exemplo columbae, cujus eam diximus esse conditionem & naturam ut felle & amaritudine careat, praesertim foemella, ita & Conjuges felle amaritudinis, rancoris, malevolentiae, iracundiae, careant, & pacem, amorem, pietatem, & affectum conjugalem conservent. Sequuntur sexto loco *servi & ancilla*, & septimo *pueri seu adolescentes*, illis loco Strenae fero donum scientiae; his autem Timoris Domini! *Servus* convenit scientia, debent enim scire ac cognoscere voluntatem Domini sui, nec tantum scire & cognoscere, sed etiam facere & adimplere. *Servus* enim *sciens voluntatem Domini sui & non faciens, vapulabit multum*. Vide Luc. c. 12. Sic accidit infideli illi & pigro servo in Evangelio, ubi sic legitur Matth. 25. *Accedes servus qui unum talentum acceperat, ait: Domine scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & colligis ubi non sparsisti &c.* Ecce habes quod tuum est. Respondens autem Dominus, dixit illi. *Serve nequam &c.* Tollite ergo ab eo talentum &c. Et inutilem servum projicite in tenebras exteriores. Nec obstat quod Christus dicat Joann. 15. *Servum nescire quid faciat Dominus ejus*. Quia eo tantum significare voluit: Servum ut plurimum nescire secreta consilia Domini sui, sed tantum scire, quid sibi Dominus faciendum imperet. Unde hinc potius confirmatur quod diximus, quam contrarium asseratur. Conentur servi sales esse, quales ad se aduci

duci præcepit Nabuchodonosor Rex, Dan. 1. Nempe in quibus nulla esset macula, eruditos omni sapientiâ, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ &c. Aut saltem, discant scire, quid faciendum, quid omittendum sit, quid bonum, quid malum, quid eligendum, quid repudiandum, quid sanum vel integrum, quid illicitum, quid Catholicum, quid Hæreticum, ut sciant *reprobare malum, & eligere bonum*. Isai. 7. Hoc facient exemplo columbæ, cujus ea est conditio, ut dum pabula vel plura grana illi objiciuntur, seu objecta reperit, candidiora & puriora seligit, nigricantibus postpositis & relictis. Sic inquam faciunt servicum incidunt in varios Heros, quorum hi Catholici isti Hæretici sunt, dum hic catholicam audiunt doctrinam, illic obtrusa dogmata Hæretica: dum apud quosdam incorruptè vivitur, apud alios dissoluta liberiorq; vita permittitur: adhæreant puritati & veritati Romanæ Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ, contemptis, neglectis & repudiatis hæreticorum falsis doctrinis, & perversis suggestionibus: æmulentur virtutes conculcatis vitiosis moribus, adhæreant bonæ societati noxiam relinquendo.

Pueris autem & Adolescentibus est necessarius. *Timor Domini* Eccl. 1. *Initium sapientiæ timor Domini*. Et Prov. 15. *Per timorem Domini declinat omnis à malo*, Et Eccl. 23. *Nihil melius est quàm timor Dei*. Et Eccl. 2. *Fili accedens ad servitutem DEI, sta in timore*. Hic inquam timor DEI à pueritia docendus est, & inculcandus à Parentibus, ut fecisse legitur Tobias senior Tob. 1. Filium enim suum ab infantia docuit timere Deum, & abstinere ab omni peccato. Sic & Dan. 13. Susannæ castissimæ matronæ Parentes cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Non dubium, quin in timore DEI. Sic & Regius Propheta Ps. 33. *Venite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos*. Sic & Gen. 18. Abraham præcepit Filiis suis & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini &c. Utinam ea esset omni-

bus Parentibus cura, providere Filiis suis DEUM, ejusque timorem. At nunc nimis verum, quod hom. 35. in Matth. 20. deplorat Chrysoſtom. *Alii filii suis militiam provident, alii honores; nemo filius suis providet DEUM, perditionem eorum magno pretio comparant, salutem autem illorum nec dono accipere volunt. Nam si videant filios suos pauperes, tristantur, quod corporum non animorum sint Parentes, corpus natorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant illis valere in saeculo isto, & non curant quod passuri sint in alio. Frequenter igitur culpa Parentum est, quod non sic timor DEI ante oculos filiorum. Qui viret in foliis venit à radicibus humor, & Patrum in natos abeunt cum semine mores. Discant ergo Pueri & Adolescentes à pueritia timere DEUM. Non timeant eos qui occidunt corpus. Matth. 10. Animam autem non possunt occidere: sed potius timeant eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Hunc timorem discant etiam columbae exemplo, quae multum timer accipitrem, juxta illud Ovid. Terretur minimo penna stridore columbae linguibus accipiter saucia facta suis.*

STRENA IV.

De Floribus & Plantis.

Quoniam Flos campi nascitur Christus hyeme, dabo in Strenam flores & plantas, sed quae etiam hyeme prodire possunt. Sacerdotibus igitur & Ecclesiasticis do virgam Aaron germinantem, de qua num. 17. *Quem ex his DEus elegerit germinabit virga ejus, In primis oportet Sacerdotes eligi à Domino sicut electus est Aaron. Nemo enim sibi sumit honorem, Hebr. 5. Sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron. Est enim Sacerdotium res divina, non humana. Consules aliique Reipubl. Rectores constituuntur atque creantur à Rege, Sacerdotes autem & Episcopi à Spiritu S.*